

www.e-rara.ch

Positiones ex prolegomenis theologiae speculativo practicae

Hannes, Bernhard

Typis Principalis Monasterii S. Galli, 1782

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117496>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

230

POSITIONES
EX PROLEGOMENIS
THEOLOGICÆ SPECULATIVO
PRACTICÆ

PRO CORONIDE I. ANNI,

Quas

SUB GRATIOSISSIMIS AUSPICIIS
CELSISSIMI, ac REVERENDISSIMI

S. R. I. PRINCIPIS
DOMINI DOMINI
BEDÆ

PRINCIPALIS MONASTERII S. GALLI,
NEC NON EXEMPTI MONASTERII S. JOANNIS
IN VALLE THURÆ ABBATIS, REGII ORDINIS B. VIRG. AN.
NUNTIATÆ EQUITIS, AC MECOENATIS
CLEMENTISSIMI, &c. &c.

PRÆSIDE

P. BERNARDO HANNES, ejusd. Monasterii Profes-
so Capit. & Ss. Theologiæ p. t. Prof. Ordin.

DEFENDENT

RR. RR. FF. COLUMBANUS Ferch, BLASIUS Müller, & HYA-
CINTHUS Rüttschi ibid. Professi.

Die 11. Octobris Anno M D CC LXXXII.

Superiorum Permissu.

Typis Principalis Monasterii S. GALLI.

Stiftsbibliothek
St. Gallen

STIFTSBIBLIOTHEK

14055

ST. GALLEN

1782

SECTIO I.

DE PROLEGOMENIS THEOLOGIAE SPECULATIVÆ.

§. I.

DE THEOLOGIA IN GENERE.

I. Theologiam, cujus nomen olim etiam Poetarum de diis fabulis tributum est, teste Clem. Alex. l. 5. Strom. ita definiri posse censemus : quod sit *rerum a Deo revelatarum certa, & solida notitia*. Nec abludere videtur definitio hæc nostra ab illa S. Augustini, qui Theologiam vocat *Scientiam, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*.

II. Rejicimus ergo famosam illam Theologiæ definitionem, quod sit *habitus mentis, quo ex veritatibus immediate, vel mediate revelatis, aut ex una saltem revelata variæ de Deo, rebusque divinis conclusiones per discursum deducuntur* : utpote quæ substantiam veræ Theologiæ evertit potius, quam astringit, totque inanum argutiarum cumulum ad illius probrum invexit. Nullum ergo est Theologiæ Scholasticæ, nec esse debet aliud a Theologia Positiva discrimen nisi in sola methodo.

III. Theologia quoque Speculativa non sat accurate a multis Dogmatica vocatur, atque Morali, seu Practicæ opponitur ; constat enim, & hanc debere esse Dogmaticam. Sed nec Speculativam decet esse pure Dogmaticam, seu Didacticam, licet esse debeat Polemica, & quoad summa saltem capita Scripturistica, & Ascetica : ex assè autem has postremas partes tradere ob materiarum varietatem, quæ in Theologia exponendæ sunt, iis permittitur, qui ex instituto illas sibi tractandas assumunt.

IV. Cum dixerimus, Speculativam non debere esse pure Dogma-



ricam, tenemus pariter, conclusionem Theologicam Expositoriam esse ejusdem cum immediate revelata auctoritatis, secus vero illativam.

V. Licet primi Theologiæ collectores, quando adhuc in S. Scriptura, Traditione, Conciliorum Canonibus, Patrumque doctrina dispersa constitit, fuscè ipsos hosce fontes assignarint, nihilo tamen minoris auctoritatis sunt summæ Theologicæ eorum, qui omissis longis Conciliorum, & Patrum Catalogis veritates indubie contestatas in usum, & utilitatem discipulorum tradiderunt, dubias vero ut tales exponere maluerunt, quam omnino præterire, aut pro certis venditare. Solæ vero veritatis oppugnatorum fraudes in causa sunt, ut necesse sit denuo ad fontes uberiores redire.

§. II.

DE HISTORIA, & RATIONE, CEU ADJUVANTE THEOLOGICÆ PRINCIPIO.

I. Principia, seu locos Theologiæ appellamus ea, ex quibus fluunt, & quibus innituntur veritates Theologicæ. Ejusmodi sunt tria: Constitutivum, quod est verbum Dei seu traditum, seu scriptum; Directivum, quod efficit auctoritas veræ Christi Ecclesiæ; Adjuvans, quod constituit Historia, & Ratio. Ad hæc tria revocantur reliqui loci Theologici alias communiter assignari soliti. Ab ultimo ordinandum censemus.

II. Humanæ itaque Historiæ auctoritas, juxta Crisi librata, non solum utilis est Theologo, sed etiam oppido necessaria.

III. Verumtamen æque necessarium est, ut quantum historia valeat, omnino attendatur. Utrum consensus Historicorum unanimis, utrum sit aliquorum, & qualium? utrum unius solum, aut alterius? utrum ex facto ad jus valeat argumentatio? Utrum circumstantiæ, causæ, fines æquales sint in factis particularibus, antequam, velut Philosophus e Phænomenis particularibus universalem legem non nisi cautissime statuit, ita ex his in Theologia sententia quædam statuatur.

IV. Quoniam vero ad id & acri judicio, & sa præconceptis opinionibus libero, neque in scopum suum nimium intento, prætereaque longissimi temporis meditatione opus est, fit inde, ut omnino pauci sint, qui vere nomen Historici mereantur, plurimi vero, qui in multis ali-

quid,

quid, in toto nihil sciant, sinistre sagaces, & inanem doctrinæ famam aucupantes; quæ profecto sæculi hujus eruditi senescentis haud exigua labes est, veræ doctrinæ vulnus acre, Religionis detrimentum manifestum, præsertim ubi fraudes, & mendacia studio quærentur ad alios decipiendos.

V. Quam necessaria Historiæ est Crisis, tanto non raro illi est nocumento, nisi prudentia, & modestia illam moderetur. Et sicut pauci sunt Historici, ita pauciores sunt modesti Critici, ubi semel rei huic operam navare ceperint. Conqueritur ea de re Fleurius in *Præf. T. I. Hist. Eccles.* Pravam æmulationem, & cupidinem etiam Catholicos in eundem excessum traxisse, ut cum hæreticis Criticæ fines, modumque transgrederentur. Et Fenel. *Doc. Past. 2. de Infallib. Eccles.* Funestum hunc laqueum esse, quem Sathan moderno sæculo posuerit. Nil vero magis risui aptum est, quam ubi juniores negotio se huic ingerunt, qui, sicut prudentia destituuntur, ita sæpe ne quidem ullis Criticæ regulis informati pro libitu nihil non traducunt.

VI. Historica tandem etiam prudens, & moderata Crisis eousque in Theologia locum habet, donèc per eam de revelatione constet, tum vero velut profana foris in atrio consistat, neque in dogma ipsum se intromittat. Nil enim certius, quam quod Mabillonius habet: Fidem ad crisin velle vocare, esse eam perdere.

VII. Historiæ, & Crisi conjuncta Hermenevtica æque parum Theologo abesse potest: ne tamen spiritui privato plena porta aperiatur, non ex proprio sensu, sed ex solidis regulis procedendum, idque quousque Ecclesia tacet, & non ultra.

VIII. Rationis, quæ est alterum Theologiæ principium adjuvans, constat, continuum, & necessarium esse usum in Theologia, tum ut de facta revelatione constet; tum ad dogmata stabilienda magis, & a contradictione vindicanda; tum ad conclusiones alias ex revelatis deducendas: ubi vero ratio in his ancillata fuerit, &, ut Benedictus XIV. monet, obsequium Theologiæ præstiterit, quod Agar Saræ præstare debuit; totam se in obsequium revelationis captivet, necesse est.

IX. Licet verum sit doctrinam fidei nunquam contrariam esse posse doctrinæ evidenti rationis, sedulo tamen rationem veram, & sanam ab errante, & evidentiā veram ab apparente distinguere oportet. Nec profecto, ubi semel per rationem de revelatione certo con-



stiterit, per eandem rationem de dogmate revelationi contrario constare poterit.

X. Maximum tandem emolumentum Theologiæ præstant Historia, & Ratio, quod moraliter evidenter doceant, & quod aliqua revelatio, & quidem necessario existat, & ubinam vera revelatio quærenda sit.

§. III.

DE VERA ECCLESIA, CEU DIRECTIVO PRINCIPIO THEOLOGICÆ.

I. Inter varias Ecclesias, seu hominum societates Deum diverso ritu revelato colentium, una solum potest esse vera Ecclesia, atque veram revelationem tenere, in qua sola hominum salus, & vera felicitas obtineri potest, & quæ proin a quolibet salutis cupido omni studio inquirenda est, atque amplectenda, ut adeo Tolerantissimo nullus plane locus sit.

II. In inquisitione ista illud fundamenti loco observandum: Ecclesiam illam unice veram fore, quæ cæteris omnibus per certa Divinitatis signa evidenter credibilior fuerit inventa: neque enim divina providentia falsæ religioni ejusmodi signa annectere potest.

III. Signa ejusmodi sunt doctrinæ sanctitas, Prophetiæ, miracula tum physica, tum moralia, sive quoad substantiam, sive quoad modum, etiam minus stricta, si certo constet, quod sint bonorum spirituum operationes.

IV. Signa hæc nec Paganorum, nec Mahumedanorum sectis:

V. Nec de facto amplius Judæorum Ecclesiæ conveniunt, licet pro priori statu suo eam veram, & Divinam demonstraverint, sed pariter in Christianam Religionem desitutam.

VI. Remanet ergo, ut dum reliquæ sectæ Divinitatis signis destituuntur, clarisque falsitatis indiciis laborant, una Christianorum Religio vera esse debeat. Et reapse omnia Divinitatis signa una ipsa gerit; prout e libris genuinis, & incorruptis, & summa fide dignis aperte eruitur, Prophetias omnes de Christo Deo, & Messia venturo quoad omnes circumstantias esse adimpletas in nativitate, vita, & mor-

te,



te, resurrectione, in cœlum conscensione, propagatione ejus Ecclesiæ, & mundi depravati conversione, &c. inter stupenda, & innumerabilia physica, & moralia, tot inter persecutiones, & fufum innumerabilium sanguinem Martyrum, omnis ætatis, sexus, conditionis pro ardua quidem, & carni penitus contraria, sed sanctissima, & in suis doctrinis plane Divina Religione. Quæ omnia clare demonstrant, Religionem Judaicam defuisse; uti de facto etiam omnes prophetias de ejus gentis dispersione, & desolatione adimpletas videmus.

VII. Inter vero dissidentes Sectas Christianas denuo unam solam esse posse veram Christi Ecclesiam in aprico est, unde etiam certis characteribus a falsis distinguatur, necesse est. Vera utique Ecclesia Christi est, quæ in omnibus tenet veram verbi Dei prædicationem, atque legitimam Sacramentorum administrationem. Verum id ipsum non est character, sed inquiritur.

VIII. Characteres autem sunt signa divinæ Christianæ Religionis hætenus recensita; dein proprietates veræ Christi Ecclesiæ necessario annexæ, quod nimirum debeat esse Apostolica, semper visibilis, & catholica.

IX. Præterea veram Christi Dei Ecclesiam in nullo dogmate errare posse, adeoque & in doctrinis, & in dubiorum decisionibus infallibilem esse, exigit & ipsius Religionis veritas, & Dei providentia: ut adeo, quid quid hæc vera Ecclesia tanquam revelatum docet, indubitanter accipi possit, & debeat sive scriptum sit, sive traditum; nam & ipsa initio absque scriptura cœpit, & Deus absque scriptura docuit.

X. Jam vero ejusmodi Characteres veræ Christi Ecclesiæ, signa nimirum Divinitatis, & proprietates Christianæ Religionis manifeste solum Romano - Christianæ Ecclesiæ conveniunt, quæ & nomen Catholicæ sibi uni ita semper vindicavit, ut id nulla alia sibi arrogare ausa fuerit. Quodsi vero Romano - Catholica Religio sola est vera Christi Ecclesia, eadem sola infallibilis est in doctrinis suis, & quod idem est, ea sola est infallibilis controversiarum judex, non privatus spiritus, non quis alius, nec ipsa Scriptura sacra, de qua ante inventam veram Christi Ecclesiam nec liquido satis, nec unanimiter aliquid statui potest.

XI. Hoc nostrum Religionis systema solum est, quod dubiis plene satisfaciatur, reliqua omnia ad Indifferentismum, & denique ad Deismum ducunt: unde etiam anti-Christianæ sectæ ex solo Systemate falsitatis convincuntur.

XII.



XII. Quidnam autem hæc vera Ecclesia doceat, e Conciliis ab ipsa universaliter receptis, & ex unanimi Ss. Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum Testimonio desumitur.

§. IV.

DE PRINCIPIO THEOLOGICÆ CONSTITUTIVO, SEU VERBO DEI TRADITO, ET SCRIPTO.

I. Hætenus quidem & revelationis alicujus existentiam, atque necessitatem, & ubinam vera revelatio quærenda sit, exposuimus; Quidnam autem in specie sit revelatum, e verbo Dei desumit Ecclesia, primum sibi divinitus contradito, atque, vigilante pro vera sua Ecclesia Dei providentia, incorrupte semper custodito: accedit & ipsa Romanæ Ecclesiæ continua vigilantia, utpote quæ ab ortu suo antiquæ semper traditioni inhæsit, nullumque novum dogma in se admisit, auctoribus illius semper a communione sua remotis. Quænam autem sit vera, & divina traditio, & quomodo ab Apostolica, & Ecclesiastica dignoscenda, variæ quidem traduntur regulæ: verum solum ipsius Ecclesiæ judicium rem hanc plene conficit ad conciliandam fidem Catholicam, adest autem hoc Ecclesiæ judicium, ubi tota Ecclesia aliquid ceu divinitus traditum tenet, etsi necdum expressa definitio desuper lata sit.

II. Cæterum Traditionis testes sunt Ss. Patres, qui si unanimiter, quot quot de re illa mentionem faciunt, aliquid contestentur, tanquam divinitus traditum, & contrarie sentientes erroris arguant, auctoritas illorum irrefragabilis est, & infallibile argumentum præstat. Ad scripta vero eorum penitus intelligenda attendendus est modus, tempus, ætas, occasio &c. quibus scripserunt.

III. Ex Traditione præcipue consignat nobis Ecclesia verbum Dei, afflante Spiritu S. Scriptum, seu sacram Scripturam, quæ ex integro quoad omnes partes recipienda est, nullo facto discrimine inter Libros Proto & Deutero-Canonicos; prout Trident. Synodus recensuit; caretque omni errore quoad fidem, & mores.

IV. Non solum Vulgata nostra, sed & textus originarius tam Hebraicus, quam Græcus, & versio 70. Interpretum ut Authentica habentur in Ecclesia quoad fidem, & bonos mores.

V. Non eodem vero modo authenticæ habentur versiones Ver-
na

maculæ, quarum solum indiscriminatam lectionem Ecclesia iustissime prohibet, quid quid olim aliqui Patres sensisse videri queant.

VI. Genuinum Scripturæ sensum eadem, sicut in aliis doctrinis, infallibilitate Ecclesia determinat: interpretibus vero juxta certas, & solidas regulas procedendum, atque secundum sensa Patrum, ubi conveniunt.

§. V.

DE FORMA, ET CONSTITUTIONE VERÆ CHRISTI ECCLESIAE, ROMANO-CATHOLICÆ.

I. Inventa spiritali illa societate, quæ ex omnibus aliis sola veram revelationem in omnibus tenet, eamque ex traditione, & Sacra Scriptura desumit, videndum modo, qua forma, regimine, potestate &c. Christus Ecclesiam suam instituerit: sicque Theologia ex revelatione Juri Canonico publico Principia subministrare debet: Qua in re mirum videre est, quo modo Canonistæ quidam recentiores catholici principia quidem isthæc initio ponant, tum vero sensim relinquunt, multumque ab iis aliena doceant; virique etiam docti ex multa hæreticorum systematum lectione se decipi patiantur, ut omissa tandem, aut oblita revelatione pro libitu suo Ecclesiasticum regimen forment, aut prout novitatis, vel placendi studium exegerit.

II. Primo itaque Christus Ecclesiæ regimen spirituale supremum, & independens a sæculari Potestate concessit, ut reportet finem fidei, salutem omnium animarum: itaque etiam omnia media concessit ad damnum animarum avertendum utilia, & necessaria, imo quid quid hoc regimen requirit, idque omne pariter sufferanee, & independenter. Addidit imperium, ut ante omnem temporalis felicitatis curam primo hæc salus animarum, & quid quid ad eam ceu medium conducit, omni studio quæretur, adeoque omni sæculari Principi jus ademptum declaravit, cum detrimento hujus salutis vel minimo promovendi commoda status temporalis.

III. Unde nihil absurdius illo, a modernis male applicato Principio, *Religio non nocet statui*; quasi vero status aliquis, nisi sit Atheisticus, & cum Machiavello salutem Reipublicæ supremam legem statuatur, jus habeat cum Religionis detrimento temporale commodum promovendi: quodsi vero Religio absque sufficienti causa status commoda im-



pedire posse supponatur, cum salus animarum, & ea, quæ Religionis sunt, alias æque comode, & utiliter obtineri quirent, non erit religio, sed superstitio. Num autem talis foret, non ad Principem, non ad sæculares judicare pertinet, sed ad eos, quibus animarum regimen commissum est. Mittamus ergo inanem timorem, quod Religio noceat, aut nocere statui possit, & dicamus potius omni meliori jure, *status non noceat Religioni.*

IV. Ad media promovendi salutem animarum non solum pertinet potestas decidendi in rebus fidei, & morum, damnandi, vel approbandi libros noxios exclusive a Potestate sæculari, eligendi, & ordinandi sacros ministros &c. sed etiam potestas ferendi leges disciplinares: atque hæc omnia denuo sufferanee, & independenter, velut ipsum regimen est independens.


V. Potestati ferendi leges necessario connexa est potestas coercitiva non solum per pœnas mere spirituales, sed etiam ex objecto suo temporales, & his quoque fideles in conscientia se submittere tenentur, nisi gravioribus pœnis coerceri velint, & ultimo refractarii ab Ecclesia ejici. Canonistæ vero hujus sæculi Ecclesiæ nullas alias pœnas nisi extremas admittunt, interdicti, excommunicationis &c. quas tamen illi ob turbas civiles, easque injustas, forte timendas, mox denuo eripiunt. Sufferaneam autem regiminis potestatem in ferendis legibus, atque adeo fidei decisionibus Placito Regum subjiunt &c. veluti nuper in *Posit. ex jure Canon. publ.* advertimus,

VI. Potestas porro hujus regiminis spiritualis non in populo residet, velut in Societate æquali contingit, sed in Pastoribus, & Præpositis animarum, quos Christus sacra ordinatione ad hoc munus vocari voluit. Inter quos denuo sacra Hierarchia obtinet:

VII. Ita ut Presbyteri inferiores sint Episcopis, & hi summo Pontifice, Divi Petri successore, qui in universam Ecclesiam Primatum veræ Jurisdictionis obtinet.


VIII. Quin & in conciliis generalibus eundem Primatum retinet, & Superioritatem, ea convocando, celebrando per se, vel suos legatos, & denique confirmando.

IX. Episcopi dein, qui divinitus etiam ad regimen Ecclesiæ vocati sunt, cum subordinatione tamen ad summum Pontificem, sentientes cum Pontifice sive in, sive extra Concilium, Ecclesiam docentem, atque



que juxta omnes Catholicos infallibilem constituunt; quæ, cum supra petram fundata sit, infallibilis esse nequiret, nisi etiam ipsa Petra, seu Papa ex cathedra docens, foret immobilis, & infallibilis.

X. De Regimine tandem Ecclesiæ differentibus id advertere placet: omnino e re nostra fore, ut dissidentes in quibusdam sententiis Theologi, ubi Ecclesia necdum aliquid definivit, pacem mature componant inter sese, atque unitis studiis jura Ecclesiastica contra tot illorum oppugnatores, inter quos non minimi sunt hujus sæculi Canonistæ, animo imperterrito defendant.



SECTIO II.

DE PROLEGOMENIS THEOLOGICÆ PRACTICÆ.

§. I.

DE THEOLOGIA MORALI IN GENERE.

I. **E**rebus, & veritatibus a Deo revelatis, quarum certam, & solitam notitiam diximus esse Theologiam, aliæ quidem solum ad intellectum pertinent, ut iis assentiatur, aliæ vero etiam ad voluntatem, ut eas opere exequatur: prioris generis Theologiam Speculativam, alterius Practicam, seu Moralem constituunt. Prima docet, quid credere, altera quid agere nos oporteat. Adeoque Moralis definiri poterit; certa, & solida notitia veritatum a DEO revelatarum, secundum quas operando homo ad finem suum supernaturalem sibi præstitutum perducitur. Facile patet hinc, quod multa in Morali pertractentur, quæ ad eam non pertinent, sed ex Jure tum Canonico, tum Civili, tum vero etiam ex jure naturæ desumpta sunt: optaremus itaque, ut sicut notitia historica, ita etiam Philosophia morali jam bene exculti ad Theologiam moralem accederent discipuli, ea vero, quæ ad Jus Canonicum, & Civile pertinent, interim omitterentur, quo fieret, ut omnibus necessitas imponeretur, his duabus facultatibus ex asse postmodum se impendendi. Interim antiquæ consuetudini cedemus.



II. Doctrinas morum revelatas, & generales ad varios casus particulares, atque circumstantias applicare utique Divini juris prudentiæ proprium est, nec non omnibus in cura animarum laborantibus oppido necessarium: unde nescimus, quare Theologia Casuistica vel ex ipso nomine multis adeo sit invisæ secundum styllum moderni sæculi. Utinam casus omnes in Scriptura, Canonibus, Patribus comprehensos inveniremus, utinam vel probabili consecutione ex iis inferre illos liceret; ratione itaque, & prudentia utendum, ceu adjuvantibus Principiis, præsertim cum nil sit absolum magis, quam Scripturam, Canones &c. ad eos applicare casus, ad quos sæpe nec de longe referuntur. Quodsi vero de particularibus plerumque taceatur, Deus scit, qualem praxin juniores Confessarii in dispendium, & desperationem animarum sint adhibaturi.

III. Cum Principia Theologiæ Moralis sint eadem, quæ Speculativæ, de iis nil amplius peculiariter advertimus, nisi quod, cum Apostolorum primi successores, & discipuli pro Theologia Practica solum verbotenus, tum per Scripturam fuerint instructi, de reliquo practiciæ Spiritus prudentiæ relictæ, quæ non raro in ipsis Apostolis emicuit, succedentibus temporibus ob frequentia exorta dubia, atque datas desuper præsertim a Romanis Pontificibus responsiones, libros plures pœnitentiales ad juvandum animarum directores conscribi oportuerit; qui post Sæculum VII. usque adeo increvere, & quidem varii, nec satis semper authentici, ut jam tum abusui obviandum fuerit. Postea emergentibus collectionibus Canonum fusioribus, & libris sententiarum Petri Lombardi, qui sententias Patrum ad mores spectantes, Canonesque collegerat, insurrexere viri acrioris ingenii, qui collectiones ejusmodi interpretari, multa subtiliter movere, directoria Confessariorum, ac summas casuum conscribere cœperunt. Crescente porro malitia hominum, sicque etiam casibus, & dubiis: etiam Tractatus Theologici increvere, ubi illud addimus, magis e re animarum videri, ut viri practici dubia moveant, & secundum spiritus prudentiam resolvant, quam ut inexpertis decisio ex proprio Marte relinquatur, quamdiu Pontifices, & Episcopi tacent.





§. II.

DE ACTIBUS HUMANIS, ET CONSCIENTIA, CEU PRIMO
THEOLOGICÆ TRACTATU PROLEGOMENO.

I. Ad omnem Actum humanum requiritur advertentia ejus, quod agitur, & ad omnem actum moralem advertentia ejus, quod regula honestatis exigit. Et præterea libertas indifferentiæ, nec sufficit libertas in Adamo.

II. Inadvertentia ergo invincibilis, quæ etiam tunc potest locum habere, etsi quis absolute potuisset advertere: & ignorantia invincibilis, quæ pariter & tunc adesse potest, etsi quis absolute potuisset, & debuisset scire, a peccato penitus excusant; & etiam in lege naturæ locum habere possunt.

III. Omnis actus humanus moralis aut bonus, aut malus est, cum non detur indifferens non solum in individuo, sed nequidem in specie.

IV. Regula honestatis est triplex, prohibens, jubens, & permittens: neque enim secundum novam novorum Theologorum doctrinam omnibus actibus aliqua lex scripta est.

V. Est autem primaria actuum humanorum regula lex æterna Dei, necessario mandans ea, quæ necessaria sunt ad rectum creaturæ rationalis ordinem erga Deum, se ipsam, proximum, & reliquas creaturas; & vetans, quæ hunc ordinem turbant: natura autem rationalis hac lege Dei informata est regula secundaria.

VI. Regula actuum humanorum interna est conscientia, cujus ultimum dictamen practicum debet esse moraliter certum, alioquin pars tutior eligenda. Est autem moraliter certum, quando quis scit, quod nulli legi promulgatæ contraveniat.

§. III.

DE LEGIBUS, CEU ALTERO THEOLOGICÆ TRACTATU
PROLEGOMENO.

I. Ad omnem legem, ut obliget, necessario requiritur promulgatio talis, ut quis post adhibitam industriam, & inquisitionem



in certam ejus notitiam devenire queat; unde lex, quæ post ejusmodi inquisitionem adhuc dubia manet, non dubie, sed nullatenus obligat. Dubium autem est, quod non est certum.

II. Vix quidpiam frequentius hoc ævo auditur, quam, hoc est de jure naturæ: & tamen tanta est inter doctos diversitas opinionum, quodnam sit principium cognoscendi juris naturæ, unde ex nullo etiam alio fonte major morum perversitas emanat, veræque religioni nostræ magis noxia, quam ex fictitio jure naturæ. Nos principium istud intrinsicum, & immediatum reponimus in recta constitutione naturæ rationalis erga Deum, seipsam, proximum, & reliquas creaturas, idque non ad temporalem, sed ad veram felicitatem, atque æternam consequendam; extrinsecum vero, & immediatum in communi omnium gentium moratarum; atque hominum prudentum consensu: immediatum vero, & ultimum in Divinarum perfectionum exigentia.

III. Est autem lex naturæ sive præceptiva, sive prohibitiva omnino immutabilis, ac indispensabilis.

IV. Veniendo ad leges humanas dicimus, quod legislator Ecclesiasticus possit obligare ad actus etiam mere internos: suave vero Ecclesiæ regimen requirere, ut leges Romæ promulgari non sufficiat, sed quod saltem authentica intimatio in singulis diocesisbus requiratur.

V. Legibus specialibus locorum per se non obligantur peregrini, sed quantum exigit bonum commune, atque necessarius ordo in communitate: neque etiam in legem peccant, qui exeundo e loco, ubi lex obligat, ejus obligationem subterfugiunt: sin vero nimii abusus inde sequantur, illi peccant certo, qui egressum ejusmodi pro auctoritate sua in conscientia non prohibent.

VI. Lex mere pœnalis dari potest, nec obligat in conscientia, nisi ad pœnam: lex vero fundata in præsumptione periculi universalis obligat, etsi finis legis, & periculum in casu particulari cesset. Atque hæc pro Coronide sufficiant.

DE LEGIBUS, CŒU ALTERO THEOLOGICIS TRACTATU

U. I. O. G. D.

in
B
A
no talis, in dno post additionem indicatam, & inquisitionem
d omnia legem, in obligat, necessitate requiritur promulgat.

